DE

ATELLANARUM EXODIIS.

DISSERTATIO

QUAM

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM AUCTORITATE

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS RITE OBTINENDIS

DIE XI. DECEMRIS A. MDCCCXXX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ERNESTUS SCHOBER,
GYMNASII NISSENSIS COLLEGA.

VRATISLAVIAE,
EX OFFICINA GUST. KUPFERI.

FRANCISCO PASSOVIO

A. A. L. L. IN UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI
PROFESSORI P. O.

PRAECEPTORI SUO

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

PIETATIS ET GRATI ANIMI TESTEM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

THESES.

I. Gymnasia nunquam nisi arte gymnastica revocata finem propositum assequentur.

II. Literas graecas in juvenum ingenia conformanda vim maximam habere qui negant, (usu scilicet, ut ajunt, edocti) non vident, solam eorum, qui perverse docent, inscitiam esse accusandam.

III. Audiendi non sunt, qui, numero plurimi, omnia in gymnasiis ad futurum juvenum vitae genus et ad quaestum referri volunt.

IV. Sophocl. Electr. v. 1006 ed. Wund. lege:
Ἀλλ' ἦν φύσιν γ' ἐς τόνδε νοῦν ἥσσων τότε.

V. Ibid. v. 1053. *ὅτι σφίσιν δὴ τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσηρά.*

VI. Horat. Sat. II. 1, a v. 34—40. ed. Heind. Errant interpretes, qui Horatium hoc loco Lucilii loquacitatem et negligentiam jocose imitatum esse affirmant. Poëta se satiris scribendis quodammodo coloni Venusini partes agere significat.

VII. Ibid. v. 79. lege: Equidem nihil hinc diffidere possum. i. e. ab hac parte, quod scilicet principum amicitiis invidiam a te defendi putas, non est, quod rebus tuis diffidam.

VIII. Ovid. Trist. l. I, 3, 101—2.
Vivat et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
Absens auxilio, sublevet usque suo.

VITA.

Ego Carolus Ernestus Schober natus sum Glogaviae, oppido Silesiae inferioris a. 1799. patre Francisco Schober, aedituo, matre Francisca e gente Sckeydiana, quam praematura morte jam puerulo mihi ereptam lugeo. Primis literarum rudimentis pater ipse me instituit, elementa etiam linguae latinae et gallicae docuit. Annos natus duodecim gymnasium catholicorum, quod Glogaviae floret, frequentare coepi. Quod quum per quadriennium fecissem, patris optimi mihique carissimi morte gravissimum vulnus accepi, ad cujus doloris acerbitatem summa etiam paupertas accessit; pater enim vix, quo efferretur, reliquerat. In his rerum angustiis Bernardus Brendel mercator, vir multis nominibus venerandus, et uxor ejus, consobrina mea, eximiam mihi benevolentiam et munificentiam praestiterunt, quam non possum, quin grati animi sensu permotus debitis hoc loco laudibus extollam; non solum enim domum suam recepto hospitium et ad vitam necessaria benigne praebuerunt, sed ut filium magna indulgentia et caritate habuerunt. Plurima etiam ex illo tempore viri reverendissimi Ioannis Gaertner, Canonici, Pro-

fessoris nunc emeriti, praeceptoris dilectissimi in me beneficia fuerunt, quorum gratam memoriam nulla dies delebit. Sic acerbissimis, quibus post mortem patris angebar, curis liberatus toto animo et pectore ad literarum studia incubui, neque sine successu; nam contigit mihi, ut quotannis praemio ornarer probata praeceptoribus dilectissimis diligentia mea, quibus quum plurima debeam, gratias quam maximas publice agendi occasionem mihi oblatam esse laetor. A. h. saec. XIX pridie Non. Octobr. maturitatis testimonio instructus Vratislaviam me contuli, ut philogiae operam darem. Ibi avunculus JOSEPHUS SCKEYDE, illo tempore regi a consiliis ecclesiasticis et scholasticis, cujus viri immortaliter de me meriti memoriam summa pietate colo semperque colam, domum suam me recepit, victumque mihi praebere pollicitus est; sed ne munificentia ejus, qua jam sororem et fratrem caecum sustentabat, abuti viderer, ipse ad vitam necessaria privata puerorum institutione mihi parare constitui, contentus uberrimo fructu, qui ad me redundabat ex amicis ejus sermonibus et praeceptis, quibus meum et fratris animum imbuere studebat; nam non in ultimis ejus meritis hoc numeraverim, quod haud exiguam quotidie partem diei impendere solebat, ut fratrem, me in ea re adjutore usus, ad linguae latinae et gallicae, ad mathematicae et historiae cognitionem institueret, eoque oculorum luminibus orbato in solatium mentis lumen accenderet, easque opes pararet, quibus instructus calamitatem suam aequiore animo ferret. Itaque quum avunculi domum relinquere certum deliberatumqne haberem, accidit, ut, qui est regi ab intimis consiliis medicis, JOANNES WENDT, medi-

cinae Professor filiorum praeceptorem quaereret, meque sibi commendatum prae aliis eligeret. Cujus summi viri quanta fuerit in me benevolentia, dici vix potest: nam jucundissimam mihi ejus temporis, quod in illa domo transegi, memoriam futuram esse affirmo. Sic jam non erat amplius qnod de vita sustentanda sollicitus essem, quare summo animi ardore ea studia arripui, quorum sitim jam pridem explere cupiveram. Et mirum in modum in dies magis virorûm clarissimorum WACHLERI PASSOVII SCHNEIDERI scholae animum meum alliciebant; quibus viris quantum debeam dicere volentem verba satis digna deficiunt; nam intra privatos etiam parietes sapientibus praeceptis animum confirmarunt, et adhortatione et consilio studia mea rexerunt, ac liberalitate sua inopiam meam adlevarunt, pro quibus beneficiis immortalem gratiam iis habeo. Interfui etiam virorum illustrissimorum KEYSLERI ROHOVSKII THILONIS STEFFENSIS de philosophia disputantium, BRANDESII et RAKII mathesin docentium lectionibus. Imprimis laetor, quod mihi contigit, ut exercitationibus critico-historicis, quas tum WACHLERUS, senex ille venerabilis, fere quotannis privatissime instituere solebat, et SCHNEIDERI V. CI. exercitationibus latine scribendi per biennium interessem. Primo statim anno, quo studiorum philologicorum rationem ingressus sum, operam dedi, ut inter seminarii philologici sodales reciperer, quod recte ita mihi persuaseram, ni hoc fieret, verendum esse, ne diu incertus vagarer, et sero vel nunquam ad finem propositum accederem. Ac sane uberrimi fructus ad me redundarunt cum ex virorum clarissimorum, qui seminario praesunt, consiliis et institutione, tum ex

consuetudine commilitonum; fuerunt enim in seminario tunc juvenes eruditionis et industriae laude insignes, quorum exemplo ad ejusdem laudis aemulationem accensus sum. In certaminibus literariis ter omnino cum commilitonibus contendere ausus semel ad palmam proxime accessi, bis victor renunciatus sum. Quadriennio rite absoluto, quo aditum mihi ad munus scholasticum, aperirem, examen legibus praescriptum subii. Per annum deinde quum in gymnasio Catholicorum Ulrichii, Professoris, phil. D. infirma valetudine, quominus lectiones haberet, impediti, vices sustinuissem, a Summo Consilio, quod rebus scholasticis praeest, Nissam missus et superiorum ordinum discipulos literas latinas, postea etiam graecas et germanicas, docere jussus sum, quo munere mihi jucundissimo jam per sex annos continuos fungor, in tractanda juventute ejusque moribus fingendis mirifice adjutus Josephi Scholz Directoris praeceptis et consiliis, quem virum reverendissimum, ob egregiam, quam erga me habet benevolentiam, parentis instar colo. Scripta adhuc edidi primum Passovio V. cl. adhortante, qui etiam qua est benignitate et humanitate erga discipulos suos, ut Hartmannus bibliopola Lipsiensis suis sumtibus edendum curaret, gravissima commendatione sua effecit, de ludis Atellanis libellum, deinde duo programmata, quorum altero de M. P. Catone oratore, altero de via et ratione exposui, qua discipulos, ad latine loquendi facultatem instituendos censeam.

Romani quum pleraque a Graecis petierint in omni literarum genere, ea mihi imprimis memoratu digna videntur, quae ipsis propria quasi ex populi ingenio profecta sunt. In his primum certe locum obtinent rei scenicae initia ab antiquissimis inde temporibus repetenda. Sed admodum in tenebris res jacet, tantaque fontium penuria est, ut ad solas conjecturas saepissime confugere cogaris, eoque magis errori obnoxius sis. In tot tantisque difficultatibus quam facile a vero aberrare possis, ipse expertus sum; nam in libello, quem de fabulis Atellanis patrio sermone scriptum [1]) edidi, praeter alia, imprimis, quae de Atellanarum exodiis exposui, nunc maximam partem improbanda mihi videntur.

Haud dubie id prae ceteris agendum est, ut Livii, gravissimi auctoris, verba recte explicentur. Sed hoc factu difficillimum est; Livius enim obiter tantummodo omnia, utpote satis nota aequalibus suis, attingit.

Is l. VII. c. 2., ubi de scenicis originibus agit, haec habet: „Postquam lege hac fabularum ab risu ac

1) Lipsiae sumpt. Hartmanni a. 1825.

soluto joco res avocabatur, et ludus in artem paullatim verterat; juventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit; quae inde exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt.“

Extrema haec Livii verba: „quae inde exodia „postea appellata consertaque fabellis potissimum „Atellanis sunt“ ita explicat Casaubonus, ut exodia Atellanarum ex antiqua Satura primum fuisse nata et ita esse dicta affirmet, vel quia singulorum diverbiorum fini, vel quia extremae fabulae semel subjici solita fuerint. Hanc sententiam ipse amplexus sum, in eo tantum a Casaubono discedens, quod non singulorum diverbiorum fini sed vel singulis Atellanae actibus vel extremae fabulae subjici solita esse dixi [2]). Multa tamen in his sunt, de quibus longe aliter statuendum esse nunc persuasum habeo: quare, quum res gravissima sit, hac scribendi opportunitate usus de integro, quae fuerit exodiorum illorum ratio, explicare mihi propositum est, speranti fore, ut, si qua parte etiam nunc lapsus sim, ab iis, qui plus vident, admonear.

Sed priusquam ad opus propositum accedo, et, qualia fuisse mihi videantur exodia ista, quove modo Atellanis conserta, ostendo, refutandi mihi sunt, qui omnino pecularia quaedam Atellanarum exodia unquam exstitisse negant. Guilelmus de Schlegel vir summus inter Saturam et Atellanam nullum discrimen fuisse et Atellanam Saturam dictam esse sta-

---

2) pag. 33.

tuit[3]) a) b), quod nemo certe ei concedet, qui quidem Livii verba diligentius perpenderit. Nam dum accurate Livius indicat, quae ab Etruscis quaeve a Graecis petierint Romani, nihil adjicit, unde jocularia ista, quae juvenes inconditis versibus inter se fundere coepisse dicit, ab Oscis accepta esse colligas; immo ita eorum originem explicat, ut liquido appareat, eum dramatis vere Romani initia peregrinis et aliunde acceptis opponere. Deinde quum ridicula ista Atellanis conserta esse dicat, certe satis ostendit, diversum fuisse utrumque genus.

Quod si Schlegelius, ut aliter statueret, inductus est his, quae proxime sequuntur, Livii verbis: „Quod „genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus, „nec ab histrionibus pollui passa est“ manifestus error est; nam fugisse videtur summum virum ad solas Atellanas haec referenda esse; Atellanas enim ab Oscis acceperunt Romani, non ridicula illa, sive exodia, quae in ipso Latio orta sunt.

---

3) a) Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur II. Th. S. 6. Die ältesten gesprochenen Schauspiele, die sogenannten atellanischen Fabeln entlehnten die Römer von den Oskern, den Urbewohnern Italiens. Bei diesen Saturen (so hießen sie, weil es anfänglich improvisirte Possenspiele ohne dramatischen Zusammenhang waren, (denn Satura bedeutet ein Allerlei) hatte es sein Bewenden, bis mit dem Livius Andronicus über 500 Jahre nach Erbauung Roms, die Nachahmung der Griechen und die Einführung der regelmäßigen Gattungen, näm-

3) b) Kirchnerus in praefatione ad suam Horat. Sat. editionem (p. V) Atellanam ex Satura ortam esse dicit, nec tamen argumentis allatis confirmat sententiam suam, cui, quae Livius memoriae prodidit, plane repugnant.

Eduardus Munck[4]) Saturam quidem initio ab Atellana diversam fuisse non negat, Schlegelium tamen defendere conatur, affirmans, Saturam cum Atellana ita conjunctam esse, ut in unum quasi corpus (eam enim esse vim verbi conserere) coaluerint, eoque factum, ut Atellanae Saturarum ingenio in se recepto dicteriis et irrisione abundarent.

Multa sunt, quae et huic sententiae adversari videantur. Primum enim non desunt veterum testimonia, quae Atellanarum exodia quaedam fuisse demonstrent. Legimus enim apud Suetonium in vita Tiberii c. 45. „Unde nota in Atellanico exodio pro„ximis ludis assensu maximo excepta percrebruit: „Hircum vetulum capreis naturam ligurrire:“ et apud Juvenalem sat. VI. v. 71. „Urbicus exodio risum movet Atellanae Gestibus Autonoes“— et a Grammaticis[5]) Novii clarissimi Atellanarum scriptoris nonnulla ex exodio afferuntur. Verum ingenue fateor, me ipsum probe sentire, cur his locis non multum tribuendum sit; nam quum Caesarum temporibus Atellanas saepe cum mimis et pantomimis

---

lich der Tragödie und der neueren Komoedie — ihren Anfang nahm.

4) In eruditissimo libello de L. Pomponio Bononiensi, Atellanarum poëta. Glogaviae 1826. ubi p. 20. haec habet: Ridicula ista versibus intexta, quae inter se more antiquo juvenes jactitabant, exodia postea appellata sunt, quia post fabulas ab histrionibus actas edebantur, istique joci quibus olim satira constabat, tunc Atellanis conserti i. e. connexi ad unum conjuncti, non additi sunt. Hanc ob causam factum ut fabulae Atellanae eo quod Satirarum ingenium in se reciperent, dicteriis et irrisione abundarent.

5) Non. Marcellus. 501. 538. 549. 623. 775.

confusas esse constet, non statim, ubi Atellanae mentionem injectam esse videmus, re vera Atellanam fuisse credendum est [6]).

Deinde ut concedamus, locos, quos attuli, ex veris Atellanis [7]) petitos esse, non tamen ideo extra omnem dubitationis aleam positum est, peculiare quoddam Atellanae exodium exstitisse; potest enim hic Atellanae exodium sive Atellanicum exodium, ut Suetonio dicitur, nihil aliud esse, nisi ipsa Atellana, quia id genus fabularum exodii loco [8]) secundum tragoedias agi solitum esse Ciceronis testimonio comprobatur, qui epist. IX. 16. ad divers. dicit: „Venio nunc ad jocationes tuas quum tu secundum Oenomaum Accii non, ut olim solebat, Atellanam, sed ut nunc fit, mimum introduxisti."

Casaubonus et Rambachius p. 188. duos etiam Suetonii locos citant, unum ex Galba c. 13. Atellanis notissimum canticum exorsis „Venit io simus a villa" cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac saepius versu repetito egerunt: alterum ex Nerone: „Datus Atellana-

---

6) Sic Tertullianus quidem, quo loco de lascivia et procacitate histrionum conqueritur: de spectac. c. 13. „Theatrum consistorium impudicitiae, ubi nihil probatur, „quam quod alibi non probatur; ita summa gratia ejus „de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus „gesticulatur" haud dubie Pantomimos Atellanos appellat.

7) *βιολόγοι* interdum etiam Atellani dicuntur, quod certe ad mimos gravium et ad vitam utilium sententiarum plenos referendum est.

8) Veri simillimum est, ob eam ipsam causam Novium Atellanam suam exodium inscripsisse.

rum histrio in cantico quodam ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum scilicet Claudii Agrippinaeque significans et in novissima clausula, „Orcus vobis ducit pedes," senatum gestu notaret." quos ita interpretantur, ut canticum illud exodium Atellanae fuisse dicant; quod ita esse, quum prorsus in obscuro lateat, quale fuerit illud canticum, equidem haud quaquam concesserim.

Sed quod Munckius contendit, conserere esse res ad unum conjungere, ita ut altera in alteram abeat, concedere nullo modo possum. Nam simplex serere ut graecum εἴρειν est connectere, conjungere, ut plurimi scriptorum loci comprobant. Sic apud Livium l. XXV. c. 6. legimus: Fato, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur i. e. ex fati lege res se excipiunt, res rei succedit: et apud Horatium in epist. ad. Pis. v. 46. „In verbis etiam tenuis cantusque serendis," i. e. inter se jungendis, sive componendis. Virg. Aen. VI. 160. „Multa inter sese vario sermone serebant." i. e. inter se collocuti sunt ita, ut verba se invicem exciperent, verba verbis necterentur.

Idem sed fortius exprimit verbum compositum conserere. Quint. Inst. v. c. 10. „Ordo rerum tribus momentis consertus est." Liv. XXI. c. 50. pugnam conserere, et paullo infra. „Sicubi conserta navis esset" i. e. ubi navis ad navem pugnandi causa proxime accessisset," se applicuisset. Jam quomodo ad unum conjungendi vel miscendi significatio, quam Munckius huic verbo tribuit, in locos Ovidianos:

Amor. III. 6, 9, 10

Quid properasse juvat quid parca dedisse quieti —
Tempora, quid nocti conseruisse diem?

et Heroid. II, 58.

Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali
Poenitet, et lateri conseruisse latus.

quos p. 34. attuli, quadrare possit, me non intelligere fateor. Nam priori loco nocti conserere diem quid potest aliud esse, quam praeterlapsa nocte non decedere ripa fluminis, sed diem nocti addere, diem etiam exspectando absumere; altero autem loco lateri conserere latus profecto non est unum facere latus ex duobus, sed adplicare lateri latus, proxime admovere, unde apparet, conserere esse conjungere ita res inter se ut integrae maneant, non ita conjungere, ut altera abeat in alteram; non enim recte is qui v. c. salem aquae miscuit, salem aquae se conseruisse dicat, et tamen haud alia foret ex Munckii sententia ridiculorum Atellanis consertorum ratio.

Quae quum ita sint, non dubito, quin pro certo affirmem, Livium, si, quod Munckius contendit, Saturam antiquam cum Atellana in novum quoddam genus esse confusam et ad unum conjunctam indicare voluisset voce conserere usurum non fuisse. Neque particula potissimum, quam Livius habet[10]), vi sua caret; indicat enim non solis Atellanis, sed aliis etiam fabulis conserta esse ridicula ista, quod certe non eadem ratione factum contenderit Munckius, qua Atellanis conserta esse dicit.

9) c. J. Munck. p. 20.

10) Consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt.

Denique ut concedamus ei rem ita se habere, ut vult, jam qualis fuerit Atellana antequam cum Satura conjuncta est, quaero? Jocos istos, quibus olim Satura constabat, cum Atellanis ad unum conjunctos eoque factum esse effirmat, ut fabulae Atellanae dicteriis et irrisione abundarent. Num igitur antea Atellana irrisione et dicteriis plane caruit? immo tota ejus vis et ratio in jocis et irrisione posita fuisse videtur, idque veterum testimonia [11]) comprobant, qui profecto, dum Atellanas salibus et dictis jocularibus abundasse dicunt, monere hoc nequaquam neglexissent, si eo factum esset, quod Saturarum ingenium in se recepissent. Neque veri simile est, Romanos in iis, quae aliunde acceperant, sua rei scenicae initia plane interire passos esse, praesertim quum, quanti ea fecerint, satis vel inde appareat, quod aliquamdiu omissa denuo suscitarunt. Itaque non audiendus est Casaubonus, qui ad illum Valerii Maximi locum, quo is Livium secutus scribit: „Atel„lani ludi ab Oscis acciti sunt, quod genus delecta„tionis Italica severitate temperatum ideoque va„cuum nota est; nam neque tribu movetur, neque „a militaribus stipendiis repellitur:" Saturam Atellanis conjunctam Valerium Italicam severitatem nuncupare monet, quod, cum et Osci gens Italiae fuerint, nullo modo statuendum est. Rectius causam, cur Atellanarum actores non eadem, qua reliqui histriones apud Romanos, infamia notati fuerint, Li-

11) Diomed. l. III. Tertia species est fabularum latinarum, quae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae Atellanae dictae sunt, argumentis dictisque jocularibus.

Donat. praef. ad Terent. Atellanae salibus et jocis compositae, quae in se non habent nisi vetustam elegantiam.

vius exponit, cum dicit: „Quod genus ludorum ab „Oscis acceptum tenuit juventus nec ab histrionibus „pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores „Atellanarum neque tribu moveantur et stipendia „tanquam expertes artis ludicrae faciant.“

Hinc intelligitur, Valerii illam severitatem Italicam cum ad ipsam ludi originem tum ad morem illum antiquitus institutum referendum esse, ex quo non nisi ingenuo loco nati in Atellanis partes agebant. Opponit igitur Valerius Italicam severitatem graeculorum histrionum levitati.

Jam non amplius dubitari posse videtur, quin certum quoddam ludorum scenicorum genus effecerint ridicula ista ab juventute jactari solita, eaque Atellanis etiam conserta integra manserint. Restat igitur, ut, qualia fuerint, quave ratione Atellanis conserta demonstremus.

More antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepisse juventutem Livius narrat. Hunc locum ita plerique explicant, ut Saturam a juvenibus denuo susceptam esse dicant. Sed primum Satura, qualem ante Livium Andronicum histriones modis impletam descripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant, plus artis requirebat, quam ut ei peragendae juvenes, qui animi tantum causa in scenam prodire solebant, pares fuissent. Deinde verba: „ridicula intexta versibus jactitare“ si cum iis conferimus, quae supra Livius de rei scenicae initiis monuit „inconditis inter se jocularia fundentes versibus“ vix ullam dubitationem relinquunt, quin verba more antiquo ad haec initia referenda sint, et totus locus ita explicandus: Quum ludus in artem paullatim vertisset,

neque amplius soluto risui et joco, qualis in Saturis fuerat, locus in scena esset: juvenes nulla arte ut initio factum erat, sed minus inconditis fortasse versibus, ut ferebat mutata temporum conditio, ridicula et jocularia non sine motu congruenti inter se jactare alternis coeperunt[12]). Non sine motu congruenti et alternis juvenes ridicula inter se jactitasse dico, quod mihi Livius verbis m o r e a n t i q u o significare voluisse videtur; nam antiquissimis temporibus juvenes haud indecoros ludionum ex Etruria accitorum motus imitatos esse nec absonos a voce motus fuisse narrat. Alternis autem inter se lusisse juvenes cum Livii verba docent: „Q u i n o n s i c u t a n t e F e s c e n n i n o v e r s u s i m i l e m i n c o m p o s i t u m t e m e r e a c r u d e m a l t e r n i s" ad antiquissimum, quo juvenes ridicula inter se jactabant, morem referenda; tum per se verisimillimum est, quum carminis amoebaei rationem late per omnem Italiam patuisse constet.

Ex hoc genere poësis dramaticae quum haud dubie Satira, proprium Romanis carmen, originem traxerit: non alienum puto a re proposita, ad eam etiam respicere, ut, siqua forte deprehendamus antiquitatis vestigia, inde ad nostram sententiam comprobandam aliquid lucremur.

Ante Ennium Satiris scribendis quemquam inclaruisse, nulla exstant testimonia. Sed is, si vera

---

12) Hinc satis apparet, non recte a me et ab aliis ridicula illa, quae Livius Atellanis conserta esse narrat Saturas dici. Illud tantum modo drama, quod brevi ante Livium Andronicum in usu erat, Livius Saturam appellat, ceterum non sine justa causa Saturae appellatione abstinet.

sunt, quae apud Diomedem grammaticum legimus [13]), illam mihi Saturam, quae ante Livium Andronicum proprie ita dicebatur, modis impletam secutus videtur. Ipsae etiam carminum ejus reliquiae [14]) in eadem Satira variis metris usum esse ostendunt; qua in re falso Rambachius Ennium Graecos imitatum esse dicit [15]). Eadem, quae metrorum argumenti etiam varietas fuit, et multa, quae ad mores et vitae usum pertinerent, praecepta in Satiris proposuit, ut apparet ex versu, quem Nonius citat:

„Nam is non bene volt tibi qui falso criminat
apud te“

et ex eo quod Aulus Gellius N. A. l. II. c. 29. habet:

„Hunc Aesopi apologum.“

Q. Ennius in Satiris scite admodum et venuste versibus quadratis composuit, quorum postremi isti sunt, quos habere cordi et memoriae operae pretium esse hercle puto:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm
Nequid exspectes amicos, quod tute agere possies.

Neque proprium illud Satirae munus, quod versabatur in ridendis et castigandis hominum vitiis, ab Enniana Satira prorsus alienum fuisse puto; ut ita statuam, inductus sum his ipsius Ennii versibus, quos Nonius ex libro III affert:

---

13) l. III. Olim carmen quod ex variis poëmatibus constabat, Satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.

14) cf. Casaub. p. II. p. 193.

15) In notis ad Casaub. p. 192. ceterum varia illa et inter se mixta metrorum genera a Graecis mutuatus est Ennius, iisque ut et argumentis antiquissimae Rom. Satirae adhibitis, eam invenit Satiram, quam proprie latinam dicimus,

„Enni poëta, salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus;" tum Quintiliani auctoritate, qui l. IX. c. 2. scribit: „Formas quoque fingimus, saepe ut Famam Virgilius, ut Voluptatem et Virtutem, quemadmodum a Xenophonte traditur Prodicus, ut Mortem et Vitam, quas contendentes in satira tradit Ennius." Idem hoc argumentum scilicet Mortis et Vitae judicium alii etiam ut Nonius et Pomponius tractarunt, ac sane fatendum est, non aliud largiorem hominum vitia ridendi et castigandi materiam subministrare.

Non dubito igitur, quin Ennius Saturam, qualis ante Livium Andronicum fuit, suis expresserit, ita tamen ut dramaticae non essent, et, cum seria jocis miscerentur, soluto joco abstineret, qui Livio teste in Satura dramatica regnabat[16]). Inde etiam liquido apparet, quomodo Horatius et Ennium et Lucilium Satirae inventorem appellare potuerit. Legimus enim apud eum in sat. l. I, 10 haec:

„Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor."

Heindorfius in notis ad hunc locum vocem auctor ad Lucilium refert, quod nemo unquam Ennium Satirae inventorem dixerit, neque Horatius in eodem carmine Lucilium v. 48. et Ennium invento-

---

quamque, cum suis adhuc laboraret vitiis, Lucilius aliique emendarunt.

16) Liv. Postquam lege hac fabularum ab risu et soluto joco res avocabatur.

rem fuisse affirmare possit [17]) a) b). Esse igitur horum verborum sensum: Fuerit limatior idem quam pro eo quod auctor fuit rudis et Graecis intacti carminis: quae explicandi ratio vim mihi inferre linguae videtur; mera enim hic est comparatio Lucilii cum Ennio et antiquioribus poëtis, ut proxime sequentia docent „Quamque poetarum seniorum turba,“ neque Lucilius omnino se ipso limatior dici potest; nam quid aliud hoc esset quam: Fuerit Lucilius limatior quam Lucilius, et poëtarum seniorum turba, quod ineptum est. Doeringius verba „Graecis intacti carminis auctor“ recte quidem ad Ennium refert [18]); at vero idem si carmen illud Graecis inta-

17) a) Weder Horaz noch irgend einer der Alten hat den Ennius als Urheber dieser Satire als Vorgänger des Lucilius anerkannt. Lucilius gilt dem Horaz als auctor und inventor dieser Poesie. Wie könnte auch in demselben Gedichte Lucilius, hier Ennius als inventor genannt sein? der Sinn ist: Mag er zugleich sogar geglätteter sein, als es der Schöpfer einer ganz neuen und originellen Gattung ist, oder sein kann (quomodo igitur Lucilius ipse potuit?); mag er sich hierin als Erfinder einer noch von Niemand bearbeiteten Gattung selbst übertroffen haben.

17) b) Kirchnerus etiam vocem auctor ad Lucilium refert, et Heindorfio adsentiens vertit:

Sei selbst er geglättet für einen
Der aus dem Rohen erschuf ein Gedicht, ungriechischer Abkunft
Mehr denn die sämmtliche Schaar vorzeitlicher Dichter.

18) Auctor ad Satirae inventorem, Lucilium, cum Heindorfio et aliis referri nequit; nam verba inde a sed ille nullo modo Lucilii ingenio conveniunt (?); auctor jam est scriptor, et totus versus „quam rudis et Graecis intacti carminis auctor“ eleganter exprimit simplices voces. Quam Ennius. Ennius enim est scriptor carminis rudis nondum

ctum Ennii Annales esse affirmat, vereor, ne valde a vero aberraverit. Fuerunt enim Annales Ennii nihil nisi carmen epicum, quod, quomodo Graecis intactum dici possit, nescio. Injuria viri docti in eo offenderunt maxime, quod Ennius et Lucilius Horatio ejusdem generis auctores dicuntur[19]). Cur Ennius recte rudis et Graecis intacti carminis auctor habeatur, satis nobis ostendisse videmur. Superest, ut jam, quomodo idem de Lucilio praedicare potuerit Horatius, demonstremus. Lucilius etiam antiquae Saturae indolem et naturam, ut variarum rerum farrago esset, servavit; nam omnino omnia, quae animum suum commoverant, Horatio teste in Satiras referre solebat[20]). At quantum fuerit discrimen inter Satiram Ennii et Lucilii, Diomedes indicat, cum dicit: „Satira est carmen apud Romanos, non quidem apud Graecos, maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poëmatibus

elegantioribus numeris adstricti (nondum arte elaborati et mollius fluentis) et Graecis intacti, quale non scripserunt poetae graeci; scripsit enim Ennius Annales Romanorum fide historica.

19) II. 162. cum est Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem. I. 10. 48. inventore (Lucilio) minor.

20) S. II. 1, 30.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si male cesserat, unquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

„constabat, Satira dicebatur, quale scripserunt Pacu-„vius et Ennius.“ Et in eandem fere sententiam Horatius S. II. 1, 62. de Lucilio dicit:

Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis;

Eo igitur Lucilius, quod non amplius carmen ex variis poematibus, ut Diomedes dicit, compositum condidit, sed uno in eadem Satira metro usus totum hoc genus praecipue ad tangenda hominum vitia transtulit, novi ccujusdem generis inventor exstitit. Neque Horatius eum, ut elucet ex verbis Primus in hunc operis morem componere carmina ausus est omnino Satirae inventorem dicit, sed ejus Satirae, quam ipse secutus sit. Quod vero Diomedes dicit, Satiram Lucilium ad tangenda hominum vitia archaeae comoediae charactere composuisse, Horatium haud dubie auctorem secutus est, qui Sat. l. I, 4. haec habet:

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae
Atque alii, quorum Comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret, aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque;

Hujus loci, nisi forte haec est sententia, Lucilium in castigandis hominum vitiis eadem, qua veteris comoediae scriptores libertate versatum esse, poëtam Satirae Lucilianae initia et libertatem a Graecis repetentem vehementer errare dico. Primum enim Quintilianus Inst. l. X. c. 1. Saturam totam

Romanorum esse testatur. Deinde, quod gravius est, nulla profecto causa Lucilio fuit, cur a Graecis ea peteret, quae antiquissimis jam temporibus propria popularibus suis fuerunt, ut Horatius ipse docet. Epist. l. II. 1, v. 139.

Agricolae prisci, fortes parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem.
Cum sociis operum pueris et conjuge fida
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribns et vino Genium, memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam saevus apertam
In rabiem verti coepit jocus et per honestas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quenquam
Describi.

Vides antiquitus apud Romanos eandem, quae veteris comoedia fuit, libertatem obtinuisse. Ex his versibus Fescenninis, ut supra ostendimus, nata sunt dramatis Romani initia, quae, quum diu neglecta jacuissent, suscitarunt juvenes Romani. Habebat igitur ob oculos Lucilius, quod sequeretur, neque erat, quod ad Graecos confugeret. Quare equidem Lucilium ad antiquissimam illam dramatis Romani formam, qualem juventus post Livium Andronicum denuo in scenam revocavit, versuum Fescenninorum quantum per temporum suorum conditionem lice-

bat, libertate usum[21]) se composuisse, atque ita novi cujusdam Satirarum generis inventorem exstitisse puto. Hinc facile intelligitur, qui factum sit, ut Lucilius uno tantum metro in eadem Satira uteretur[22]): non enim eam quam Ennius Saturam, quae proprie ita dicebatur, modis impletam, sed initia ejus, Fescenninis versibus simillima, secutus est. Apparet etiam, immerito Horatium, omnino nimis iniquum veterum poëtarum judicem, Lucilii in pangendis versibus negligentiam notare[23]), quam de industria eum affectasse puto, ut versus ex tempore fusi viderentur et carmina fere exodiorum indolem referrent. Quae cum ita sint, cur in explicanda exodiorum natura et indole non tam ad Ennii quam ad Lucilii Satiram respiciendum esse dixerim, in ocu-

21) Hor. I. 10. 3. — — — — Sale multo
Urbem defricuit.
Id. II. 1. 69. Primores populi arripuit populumque tributim;
Scilicet uni aequus virtuti atque ejus amicis.
Pers. I. v. 114. Secuit Lucilius urbem.
Juven. I. 1, 165. Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.

22) Alias satiras jambico metro, alias trochaico, hexametris versibus alias composuisse Lucilium reliquiae docent. Haud dubie initio jambis et trochaeis, postea demum hexametris usus est, quum intellexisset, melius ita varium sermonis colorem servari posse.

23) Hor. Sat. I. 4. 8.
durus componere versus:
Nam fuit hoc vitiosus; in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno:
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles,
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror.

los incurrit. Et Lucilii quidem carmina intercidisse vehementer dolemus, praesertim quum, quam prope abfuerit ab exodiorum ratione, vel inde appareat, quod apud Horatium nimis eum risum captasse legimus. Lucilium enim ut nimium in eo, quod proprium fuit exodiis, risum movendi studio reprehendit in verbis: Sat. I. 10, 7.

Non satis est risu diducere rictum
Auditoris.

At vero Horatii, cujus Satira eo tantum a Luciliana differt, quod limatior et minus acerba fuit, sermones multis locis haud obscura etiam originis suae vestigia prae se ferunt; nam id ipsum, quod saepissime duo inter se colloquentes inducuntur, qui sua sibi vitia exprobrant, et alter alterum rident; vel quod omnino aliorum stultitiam perstringit poëta, eoque risum movere studet, exodiorum morem refert. Imprimis autem in Satira l. I. quinta a versu 56—70 quodammodo primis lineis adumbratum habes exodium Sarmenti et Messii invicem se provocantium et acerbissimis conviciis proscindentium pugnam, in qua ipsi motus voci congruentes haud defuerunt.

Prior Sarmentus, Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus: et ipse
Messius, accipio; caput et movet: O tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris? At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat;
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad haec, donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat? scriba quod esset,

Nihilo deterius dominae jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset; cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?

Igitur ut hoc loco Sarmentum et Messium inter se contendentes videmus, ita in exodiis duo juvenes in medium prodiisse et versus ex tempore fundentes vel ipsos dicteriis proscidisse vel aliorum hominum vitiis coopertorum persona induta Italo, ut Horatius dicit, aceto se perfudisse mihi videntur. Quod genus delectationis quantum gratiae et suavitatis habuerit, facile perspicitur, quum satis constet, Italos semper prae aliis gentibus jocis et facetiis abundasse et versus ex tempore fundendi facultate plurimum valuisse. Hinc etiam intelligitur, cur Romani cognita jam Graecae comoediae praestantia tamen haec initia dramatis patrii aliquamdiu neglecta denuo cupide arripuerint; vix enim fieri potest, ut, quae ex ipsius populi ingenio semel prodierunt, eoque ipso omnium animos mira dulcedine demulcent, aliunde petitis unquam plane cedant. Jam ad difficillimam disquisitionis nostrae partem accessimus, scilicet ut ostendamus, qua ratione ridicula ista, quae juvenes inter se jactabant, Atellanis conserta esse videantur. In notione verbi conserere i. e. connectere, conjungere, sed ut supra ostendimus, ita ut integrae maneant res sibi consertae, nihil est, quod simul, quomodo conjuncta sint Atellanis, satis indicet. Nam quum ea etiam, quae media interposita sunt, recte cum aliis conjuncta dici possint, verbi autem conserere eadem sit vis ac potestas: sequitur, res consertas nequaquam semper in fine additas esse; ut v. c. florem, sive in mediis sive in extremis sertis positus est, ceteris floribus recte con-

junctum vel consertúm dixeris. Sed exodia dictos esse hos juvenum lusus apertis verbis Livius[24]) memoriae prodidit; jam si ad significationem vocis exodium et ad ea respicimus, quae de exodiis scholiastes ad Juvenalis Sat III. v. 175 monet[25]), primo adspectu non amplius dubium videtur, quin ridicula illa extremae fabulae Atellanae exodii loco subjici solita fuerint. Sed fortasse aliter hac de re statuendum erit, si accuratius omnia perpenderimus. Primum enim ridicula illa, non ex eo, quod Atellanis, sed quod aliis fabulis conserta sunt, exodiorum nomen traxerunt, ut aperte indicant Livii verba; qui si dicit: „Juventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit, quae inde exodia postea appellata," quid aliud haec sibi volunt, quam juventutem secundum actas ab histrionibus fabulas ad animos exhilarandos ridicula inter se jactare solitos, eaque inde exodia appellata esse. Nam illud inde non habet, quo explicetur, nisi ad proxime praecedentia „histrionibus fabellarum actu relicto jactare coepit", referamus, quod ut faciamus totus verborum nexus suadet. Si enim propterea quod fabulis Atellanis conserebantur, exodia appellata essent, mutato sententiarum et verborum ordine Livio dicendum erat: postea fabulis potissimum Atellanis conserta atque inde exodia appellata sunt.

Hinc sequitur, nihil nos cogere, ut exodia, quae jam tum, cum Atellanis conseri coepta sunt, ita ap-

24) Quae inde exodia postea appellata.

25) Exodiarius in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrimarum atque tristiae coëgissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret.

pellabantur, eodem modo Atellanis, quo tragoediis (nam tragoedias fuisse fabulas, quas juventus histrionibus agendas reliquit, in aperto est) conserta fuisse statuamus; post tragoedias enim exodio opus erat, ut animi tristitia affecti exhilararentur, non vero post Atellanas, quippe quae ipsae salibus et jocis compositae essent[26]). Quamquam id quidem neminem fugere potest, quid causae fuerit, cur omnino ridicula illa Atellanis consererentur. nam idem fuit utriusque generis fons, eadem origo et magna similitudo; in patrio enim Italiae solo nata et a majoribus non a peregrinis accepta tam pio studio colebantur, ut ingenuis tantum hominibus partes in iis agere liceret; jocis et dicteriis abundabant, eoque maxime spectatorum animos nativo quodam lepore deliniebant: id unum interfuit, quod Atellana argumento serebatur, et certas quasdam personas habebat, juvenum autem lusus antiquam mihi formam, de qua supra exposui, semper servasse et tum etiam, cum Atellanae jam perscribi coeptae sunt, ex tempore fusi videntur.

Sed fac Livii verba ita esse explicanda: ridicula ista initio tragoediis conserta atque inde exodia dicta, postea, cum Atellana exodii loco esse coepisset, eodem modo Atellanae conserta esse: nihilominus tamen non est, quod nonnisi in fine fabulae adjecta esse putemus; nam Cicerone teste[27]) mimus in lo-

26) Verisimile est, eo ipso sempore, quo Atellana exodii loco post tragoediam agi coepta est, antiquum exodium Atellanis consertum esse.

27) ad Div. IX. 16. quum tu secundum Oenomaum Accii non, ut olim solebat, Atellanam, sed ut nunc fit, mimum introduxisti.

cum Atellani exodiarius successit; mimus autem non solum, ut ex hoc Ciceronis loco sequi videtur, in fine tragoediae, sed ut Festus[28]) narrat, inter singulos fabulae actus in scenam prodibat. —

Quidni igitur eundem interdum Atellanae in tragoediis et exodii in Atellanis, qui mimi olim fuit, usum fuisse credamus? Jam Atellanae quidem plures fuisse actus non constat; sed simile quid in Atellana etiam fieri potuisse, naturam et rationem ejus respicientes facile intelligimus. In Atellanis enim, quamquam argumento serebantur, tamen quum initio ex tempore agerentur, non ita dispositas fuisse res atque inter se cohaesisse verisimile est, ut non interdum aliquid desideraretur. Atque ad ejusmodi quasi lacunas explendas, ut haberent spectatores, quo interim animos oblectarent, ridicula inserta, ubi vero usus hoc non exigebat, in fine mihi acta videntur. Quod ut ita factum esse putemus, magis etiam fabularum Atellanis simillimarum dell' arte, quas Itali dicunt, ratio suadet; nam in his etiam non certis locis, sed ubicunque laxior rerum nexus desiderare videatur, histriones ridicula inter se jactare, quos lusus Cozze appellant Itali, me legere memini. In his quum manifesta antiqui moris vestigia mihi deprehendisse videar, quae ut alia etiam exempla docent, in rebus genti cuidam propriis nulla aetas delere valet, quin eandem ridiculorum istorum Atellanis consertorum rationem fuisse contendam, non dubito.

28) Festus p. 201. Mimi prodibant, dum intus fabulae actus componerentur.